



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Liber I. Quædam complectens quæ ad perseuerantiam propiùs attinent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

# LIBER PRIMVS,

Quædam complectens quæ ad Perseuerantiam  
propius attinent.

## CAPVT I.

*Scribendi ratio & argumentum.*



Hæc tandem, carissime frater, hora illa tot votis expetita, toties-  
que nimis tarditatis incusata aduenit: opum comoda, gentis de-  
cora, Religionis humilitate mutasti, & à perituris ad æterna, sa-  
pienter amore conuerso, præterlabentis mundi despectam, non  
minus verè quàm fortiter, toto ipso mundo maiorem credidisti.  
Quin etiam, vt te ipse penitus vinceres, maturo consilio, id ætatis & nobilita-  
tis vir, vitam quasi retexere, & ad spiritus incunabula redire cœpisti, tiro inter ti-  
rones, Magistro ad nouam palæstram efformandus assides, dicentisque verba  
rebus ipsis expleturus, memoriæ commendas. Sic leguntur olim Ihsidori, Arse-  
nij, Damasceni, splendore munerum in rep. gestorum illustres, agrestibus  
quidem illis, at seueris virtutum exactoribus Ægyptijs, tundendos se atque  
retundendos, velut ferrum in incude præbuisse. Quorum exemplo si quæ hac  
scriptiõne commendauero, præstiteris, erit quoddam aliquando epinicia victori  
Iesu, non sine tua laude decantes.

Sed exemplo & verbis D. Hieron. malo vtiles esse monitor quàm vanus videri  
assentator. Hæc ergo scribo vt intelligas tibi exeunti de Sodomia, timendum esse: Lot vxoris  
exemplum. nulla est enim in hoc libello adulatio. adulator quippe, blandus inimicus est. Nulla  
erit rhetorici pompa sermonis, quæ te etiam inter angelos statuatur, & beatitudine Religio-  
nis exposita, mundum subijciat pedibus tuis. Nolo tibi venire superbiã de proposito, sed ti-  
morem. Onustus incedis auro: latro tibi vitandus est. Stadium est hæc vita mortalibus: hic  
contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Et  
inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in celo: & tu pacem arbitraris in terra, qua  
tribulos generat & spinas: quam serpens comedit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem  
& sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, & rectores harum tenebra-  
rum, aduersus spiritualia nequitia in celestibus. Magnis inimicorum circumdamur agmi-  
nibus, hostium plena sunt omnia. caro fragilis, & cinis futura post modicum, pugnat sola  
cum pluribus: cum auce fuerit dissoluta, & venerit princeps mundi huius, & inuenit in ea  
nihil,

Ex Hieron.  
epist. 22. ad  
Eustoch.

Pro Reli-  
gionis,  
virginita-  
tis est apud  
Hieron.

Isaia 34

Gen. 3.

Ephes. 6.

A

- Psal.* 90. nihil, tunc securus audies per Prophetam, Non timebis à timore nocturno: cadent à latera tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Quod si eorum te multitudo turbauerit; & ad singula incitamenta vitiorum caperis astuare; & dirigerit tibi cogitatio tua, Quid faciemus? respondebit tibi Heliseus: Noli timere, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis: & orabit, & dicet, Domine aperi oculos pueri tui, ut videat: & aperti oculi videbis igneam currum, qui te ad exemplum Elia in astra sustollat, & tunc letus cantabis; Anima nostra, sicut passer crepta est de laqueo venantium. laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quamdiu hoc fragili corpore detinemur; quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus; & concupiscit spiritus aduersus carnem, & caro aduersus spiritum, nulla est certa victoria. Aduersarius noster diabolus, tamquam leo rugiens, aliquem deuorare quarens circumit. Posuisti, ait Dauid, tenebras, & facta est nox. in ipsa pertransibunt omnes bestia silua. catuli leonum, rugientes ut rapiant, & querant escam sibi. Non querit diabolus homines infideles; non eos qui foris sunt, & quorum carnes rex Assyrius in olla succendit: de Ecclesia Christi rapere festinat. Esca eius, secundum Habacuc, electa sunt. Iob subuertere cupit, & deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem. Non venit Saluator pacem mittere super terram, sed gladium. Cecidit Lucifer qui manè oriebatur: & ille qui in paradiso deliciarum nutritus est, meruit audire: Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te, dicit Dominus. Dixit enim in corde suo: Super sidera cali ponam sedem meam, & ero similis Altissimo. Misisti manum ad aratum, ineptus es regno Dei, si respicis retro: magna ergo persecuerandi necessitas: fac de necessitate virtutem. Non quaruntur in Christianis initia; (hæc penitentis consolatio;) sed finis: (hæc decertantis fortitudo.) Paulus male cepit, sed bene finiuit. Iude laudantur exordia; sed finis prodicione damnatur: lege Ezechielem; In iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Ista est scala Iacob, per quam angeli ascendunt, & descendunt: cui Dominus innititur, lapsis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans. Sed sicut non vult meritem peccatoris tantum, quantum ut conuertatur, & viuat: ita tepidos odit, & cito ei nauisiam faciunt. Cui plus dimittitur, plus diligit: ab eo que plura reposcuntur, cui plura data sunt. Hortamur igitur per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem caritatem, ut qui aduersarium prima hac congregatione vicistis, gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in seculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus; danda opera est, ut post hæc initia, ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse capistis. Parum est adipisci aliquid potuisse; plus est, quod adeptus es, posse seruare: sicut & fides ipsa, & natiuitas salutaris, non accepta, sed custodita, viuificat. nec statim consecutio, sed consummatio, hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio suo docuit, dicens: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & Religioso suo dicere: Ecce Religiosus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon

Mon denique, & Saul, & ceteri multi, quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab ijs disciplina Dominica, recessit & gratia. Perseuerandum nobis est in arcto & angusto itinere laudis & glorie: & cum quies, & humilitas, bonorū morum tranquillitas, Christianis omnibus congruat secundum Domini vocem, qui neminem alium respicit, nisi humilem & quietū, & tremementem sermones suos; tum magis hoc obseruare & implere Religiosos oportet, qui exemplū facti estis ceteris fratribus, ad quorum mores, omnium vita & actus debeat prouocari. — & cari Deo sunt, per quorum disciplinam nomen Domini laudabili testimonio predicatur, sicut scriptum est, Domino praeuocante & dicente: *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & clarificent patrem vestrum qui in caelis est.* Et Paulus Apostolus dicit, *Lucete sicut lumina-ria in mundo.*

Is. pl.

Matth. 5.  
Philip. 2.

En quid tibi, quid ceteris tui similibus loquantur hi sancti Patres: quorum exemplū amularus, inferioribus licet, minimeq; æstimandis vicibus, iisdē institi vestigijs, deq; illius quam in semel arrepto vitæ instituto tenere debemus Perseuerantię subli dijs institui scribere. Et quoniā vrget oportunitas, meq; non pauca detinet, quæ non valeo excutere, genus erit descriptionis eiusmodi, quale præfens vtilitas, meusque tum in te, tum in ceteros commilitones tuos affectus esse patietur. Nec enim ita tibi scribo, vt soli scribam, solum spectem, communem, & ad plures ab vno manantem vtilitatem sectari præstat. Homines sumus, humanæq; naturæ conragione, iisdem næuis inspergimur; leniūs, acriūs, hic vel ille; at fermè omnes iisdem motibus perturbamur, stimulis incitamur, rationibus tranquillamur: vixq; reperies, imò veriūs non reperies, quod ita vni alicui proffit, nemini vt alteri prodesse possit. non semper, nō æquè omnibus, imò nec eadē iisdē semper adhibenda; at quod interdū nonnullis prodest, in commune dici potest, vt opportunè cum res, cum tempus, cum persona exiger, vel medicina malo fieri, vel bonum conseruari possit & augeri. Ad hæc etiam, præcauenda sunt multa ne accidant; præmunienda non pauca, ne impugnari, neue possint subitaria, furtiua, insana hostium aggressione conuelli. Quare hunc mihi ordinem in hoc libello præfixi, vt cum de Perseuerantia, paucis quæ maximè necessaria sunt dixerō, quædam quæ ad perseuerandum potissimè facere videntur addam: quibus cum nonnulla illi magis aduersantia subiunxero, tum verò argumento proposito factum à me satis credam. Vides quàm arduam, quàm expectendum sit de summa omnium virtute, imò de virtutum omnium corona consequenda disserere: ergo mei, tantum onus in tam debiles humeros tollentis, miseratio te capiat, nec voluntarium seligentis accusa propositum, sed tui caritate & amore, (cuius quanti sit vis quis ignorat?) vt supra vires auderem adactum puta, precibusque à bono Iesū impetra, vt qui linguas infantium facit disertas, is in mentem immittat meam, quæ ad huius argumenti dignitatem, suorum vtilitatem, hominisque sui gloriam conferant.

A 2

C A-

## CAPVT II.

*Quid sit Perseuerantia.*

Quoniam rectæ operationis, omnisque virtutis tum demum solida fundamenta iaciuntur, si certa & cognita veritate nituntur: nec enim incerta vel incognita, prudenti mentis nostræ destinatione persequi possumus: antequam longius progrediar, quid de Perseuerantia sentiendum sit edicam.

Primò ergo sic habendum, Perseuerantiam, vt virtus est, eam denotare fortitudinem & constantiam animi, qua fit vt ne diuturnitate pugnæ fatiscens, cæpta bona abiumpat, fractusque à proposito resiliat: sed quibusuis perruptis obicibus in præfixum sibi scopum inuariato cursu ad extremum vsque decurrat.

*Vide Less.  
de Iust. &  
iure lib.  
3. c. 2. d. 1.  
& 6.*

Quod vt certo tutoque consequatur, duo præster necesse est: nam & labores atque molestiæ ex diuturnitate rei emergentes exhauriendæ sunt, atque superandæ: & in eo quod semel cæptum est, tamdiu continenter elaborandum, donec finem quem ratio præscriperat allequatur; sin minus, & proposito & perseuerantia excidisti.

Verùm ista seu perpetuatio seu continuatio operis, non alia est, quàm vt suis stas, & pro rei natura conuenientibus temporibus id fiat vnde iudicari merito possis in eodem proposito permanere: quare diuersa de diuersis rebus erit iudicatio. qui enim ab habitu, à loco, & ab instituto Religioso, vel ad momentum recedet, is defecisse, & à perseuerantia excidisse dicetur; non tamen vel à litterarum, vel à virtutis alicuius studio resiliisse censetur, qui his nonnumquam intermissis, fessas vires honesta quiete reparauerit: istud enim natura sua numquam, hoc interdum potest interrumpi.

Et verò huius diuersitatis indicationem faciliè ab ipsis rebus hauriemus. quis enim non videt, institutum vitæ cuiusque sic obseruandum, vt ab eo numquam & nusquam discessionem vllam facere liceat; negotia verò cætera sic nobis esse curanda, vt nequaquam negligi, sed potiùs moderatione prudenti transigi putentur, si suo tempore intermissa, suis occasionibus resumta, vbi licet, & quâ licet, virgeantur? Quin imò, non minima hæc, seu moderationis animi, seu prudentiæ pars est, vt neque intemperantiùs, neque pertinaciùs quàm res aut tempora postulant, conatus tuos virgeas.

Quædam sunt quæ vbi semel consecutus fueris, factum est satis; id restat vnũ vt ne perdantur: ita scientiæ, & nonnullarum virtutum quidam est terminus. At sunt alia, quæ ad eò nobis necessaria sunt, vt numquam absque eis esse sine extrema pernicie possimus: cuiusmodi sunt ea omnia, quibus obseruandis

per-

perpetua lege deuincimur: vnde numquam à gratia excidere, numquam sine illa, ex hac vitæ statione discedere possumus; nisi si in æternum perennatis nos cruciatibus obligare malimus.

Perseuerat igitur seu in virtute, seu consilio, seu vitæ instituto, quicumque suum ad metam destinatam cursum dirigit, siue sit ille continuus, siue pro rei optatæ conditione ita prudenter interruptus, vt suæ, tanto velocius ad eandem prouolandi, occasione vigil incumbat: non sic, si ignauia, si tædio, si pauore & languore victus otiaur, quippe tunc tamdiu à Perseuerantia deficit, quamdiu rectè cæpta enerui mente, nullaque recta ratione destituit. At verò qui indefessus porro pergit, si in peculiarem illam, quam adamare cæpit, honesti formam irretortos animi oculos figit, vt si castitatis, si obedientiæ, si cuiusquam virtutis decorem deperit, pulcroque conatu non cessat eam persequi; hæc eiusmodi viri laudatissima perseuerantia, est quædam in eadem seu castitate, seu obedientia, seu alia qualibet virtute continuatio, fortisque perduratio: estque eiusdem illius virtutis vel modus, vel gradus & laus præstatio. Erit autem peculiatis & propria quædam virtus, quæ Perseuerantia dicitur, si quando ideo in castitate, vel obedientia, vel quavis virtute perseuerabitur, quia per se honestum atque laudabile putatur, si vsque ad debitum atque consentaneum finem perdureretur. Valer autem hæc obseruatio, vt in ipso cogitationum & actionum nostrarum decursu, modò in hunc, modò in illum, modò in vtrumque affectum, incundè & non inutiliter proclinare possumus: nempe amando, vel ipsammet castitatem, obedientiamue perdurantem, vel eam ipsam quæ in perseuerantia honesti inest honestatem, vel hæc vtraque mixtim & simul oculis mentis obiecta.

Sed est alius Perseuerantiæ significatus, iuxta quem id nominis fermè vsurpare familiariter solemus, vt denotetur eximium illud electorum donum, quo fit vt extremus vitæ limes, non nisi gratia diuina comitante, tutante, exornante claudatur. Sed & in hac significatione nonnumquam sic nomen arctatur, vt solam illam extremam, omniaque claudentem Perseuerantiam complectatur. Interdum autem, eius complexu, omnem illam diuinarum gratiarum feriem comprehendimus, qua fit vt ab initio ad finem vsque siue sine prolapsione, siue post lapsum feliciter resurgendo curratur.

Et quidem vt humanæ vitæ rationes, partibus plurimis, itque diuersissimis constant, ita sunt grauiora, leuiora, & varia multa, in quibus perseuerantiæ ratio faciliior, difficiliior, magis aut minus exigitur. Minuta sunt non pauca, quæque frequentatione nimia, vel vilescunt, vel humanæ perseuerantiæ metas prope modum exeunt; quis verbo, gestu, cogitatione liberiùs euagante non labitur? Sunt, à quibus cum excideris, contra boni quidem viri, & in officio bene sibi constantis munus feceris, vt quando in peccati aliquanto grauioris fraudem

Vide D.  
August. l.  
de bono  
perseuer.

dem implicatis: at nondum tamen ab omni fortis perseverantiae laude deiectus esse censetur. Verum sunt alia, vel suo genere tam singularia, vel dignitate tam eximia, vel felicitudine tam propugnanda, ut qui semel ab illorum possessione exciderit, ab perseverantia excidisse, omnibusque vertumnis iniquissimis infelicitate agitari putetur: quid enim dixeris, aut speraveris aliud de Christiano, qui semel à fide in Deum excidat; de Religioso, qui instituti quod semel singulari Dei beneficio amplexus est, fœdus desertor evadat? credesne, vilius unquam rei dispensatorem, vel conservatorem bonum esse posse, qui tam certæ salutis, thesaurum tantum, tam nulla (quamcumque enim prætexerit, præ tanto bono nulla esse debuit) qui inquam celestem thesaurum illum, tam nulla causa sic perditè prodegit, sic ignavè manibus eripi, aut ultro etiam dilabi sit passus? vel extremæ istud est dementiæ, vel stolidissimæ ignorantis, vel improbitatis planè depositæ. Summus igitur in retinendis rebus tantis, est nobis conatus adhibendus: summa res agitur, si cedis cadis, potius est vita, quàm loco cedere; fortis miles, quid expavescis? sub oculos imperatoris Dei depugnas, eo præsentem nemo vincitur, qui nolit vinci: ista, perdura, obiste, & hoc solo debellasti.

Sed ut ad institutam Perseverantiæ explanationem redeam, nequaquam omittere debet quod benè animadvertit D. August. Aliud esse donum perseverantiæ, quo quis perseverare potest, quale donum in Adamo fuisse, ut in iustitia primigenia perseverare posset, nemini dubium est. Aliud verò donum, quo aliquis re ipsa perseverat, quod quicumque nunc à Deo accipiunt, si non latiore, quàm Adamus, at potentiore gratia fruuntur: per hanc enim in natura fragili victorem hostem vincunt, & carnem insultantem depresso spiritui subiugando, in antiquam se libertatem vindicant. Quippe ut sanctus ille Doctor præclare scripsit, Tanta est hæc gratia, ut non solum per illam recuperet, quam perdidit libertatem, & sine illa nec apprehendere bonum, nec permanere in bono possit; sed etiam eò usque efficaciam procedit, ut volentem hominem ad bonum volendum inducat. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam, non solum in bono recipiendo & perseveranter tenendo posse quod volumus, verum etiam constanter & perseveranter velle quod bonum per eam possumus. Nunc ergo Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, tale adiutorium perseverantiæ datur, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Et mox ut doni magnitudinem ostendat, Maior, inquit, libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes (quæ in paradiso non fuerunt) dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis, vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique Adam & terrente nullo, insuper & contra Dei verrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi

Libr. de  
corrupt.  
& 11.  
& 12.

di facilitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sciante ne starent, steterunt in fide: cum videret ille bona presentia qua fuerat relicturus; isti futura, qua accepturi erant, non viderent. Vnde hoc, nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles essent, à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis, & caritatis, & continentia, quo cuncta minantia, cuncta cruciantia superarent: Illi ergo, nempe Adamo, sine peccato vllò data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cum fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit; Si vos filius liberauerit, tunc verè liberieritis. & accipiunt tantam, per istam gratiã Ioan. 8. libertatem; vt quamuis quamdiu hic viuant, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisq; nonnulla surrepãt, propter que dicant quotidie, Dimitte nobis debita nostra; non tamè vltiã seruiunt peccato quod est ad mortem. Denique conclusurus hunc locum, Subuentum est igitur, inquit, infirmitati voluntatis humanae, vt diuinã gratiã indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & idèò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Fortissimo (Adamo) dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmis seruaui, vt ipso donante inuictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissime nollent. En igitur quanta, quæ per Iesum Christum hominibus donatur gratia, quibus illa votis arcessenda, quanta sollicitæ mentis cautione retinenda?

## CAPVT III.

*Quid de Perseuerantia Concilium Tridentinum doceat.*

GRauissima est sacrosancti Tridentini Concilij de Perseuerantia sententia, quam totam totidem verbis referam, suumque illi locum à cæteris eximium relinquam. Ergo sess. 6. cap. 13. sanam contra fatuos hæreticorum errores doctrinam statuens, ita loquitur: Similiter de perseuerantia munitur de quo scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tamen si in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiunijs & castitate: formidare enim debent (scientes quod in spem gloriae, & nondum in gloria renati sunt) de pugna qua superest cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemprent dicenti; Debitorum sumus non carni, vt secundum carnem viuamus; si enim

secun-



secundam carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Iterumque Canone 16. definit: Si quis magnum illud usque in finem perseverantia donum secerit habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit: anathema sit.

Hæc igitur ut fundamentum, ut norma dicendorum, ita posita sint, ut ab illis recessisse sit nefas. Meminimus autem nostri temporis refutari hæreticos, qui de salute, de perseverantia, de prædestinatione docuerunt, tam esse certum quemque debere, ut se prædestinatum debeat fide credere, eaque de re dubitare, infidelitatem esse & incredulitatem, gravissimumque peccatum. Igitur hoc esse temerarium, sana Ecclesie sanctæ docet auctoritas, ita tamen ut velit unumquemque firmissimam in Dei auxilio spem collocare, in timore & tremore moderato (qualis filiorum Dei esse solet) salutem operari suam, certamque sanctis operibus facere vocationem: quod nobis per meritum omnium fontem Iesum Christum, præstare dignetur is, à quo omnis paternitas, atque ad eum omnis filiatio, omnis adoptio, & in cælo & in terra.

## C A P V T I V.

## Laus Perseverantiae.

**N**ihil est profectò quod ad virtutis alicuius vel adeptionem vel conservationem nos acrius moueat, quam si eius præstantiam, fructus, necessitatem penitus & præ cæteris introspexerimus: hæc autem sic in Perseverantia elucet, ut vel solo eius vocis auditu, protinus in mentem ultro veniant. Quis enim vltique ad eum tardus est, ut, cum perseverantiam audit, non eam virtutem cogitet, sine qua ceteræ deficiunt omnes, quæ quodammodo sola coronatur, omniumque reliquarum est extrema quædam & consummata perfectio? Ergo exquisitiore nulla probatione, sed neque longiore sermone est opus: est tamen virtus sanctior audiendus, qui præclare & breuiter in illa verba, Sic faciebat Iob cunctis diebus vite sue, commentans ita subdit: In cassum bonum agitur, si ante terminum vite deseratur: quia & frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas veniat, deficit. Hinc enim est, quod de reprobis dicitur, Væ his qui perdidit sustinentiam. Hinc electis suis Veritas dicit, Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus meis. Hinc Ioseph qui inter fratres usque in finem iustus perseverasse describitur, solus talaris tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talem corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos, usque ad vitam nos terminum regit. Hinc est, quod per Moysen caudam hostia in altari offerre præcipitur, ut videlicet & Levit. 3. omne bonum quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. Bene igitur cepta, cunctis

Gregor. ex-  
tremol. 1.  
Moral.

Ecclesi. 2.  
Luc. 22.

Genes. 37.  
ex vers.

LXX.

Exod. 29.

& Levit. 3.

cunctis diebus agenda sunt, vt cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantia manu teneatur. Ita ille.

At etiam floridè concinentem D. Bernardum iuuat adnectere: is in quadam epistola Ianuenses alloquens, Et nunc quid restat, inquit, carissimi, nisi vt admoneamini de perseverantia, qua sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad pramium. Soror est patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saul cum esset paruulus in oculis suis, rex est super Israël constitutus: non perseverans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis deuotio perseverantiam retinuissent, nec is profecto priuaretur sapientia, nec ille viribus. Hoc summa honestatis insigne, hanc totius probitatis vnicam fidamq; custodem, custodiri à vobis firmiter, hortor & precor.

Monstrum est si humano capiti ceruix equina iungatur, aut supernè homo in atrum draconem desinat: quippe principia medijs, media extremis leni connexu, & conueniente modo aptari debent: omnino igitur monstrificum fuerit, si fortibus inijs signauus finis attextitur. Dimidium facti, dicit quidam, qui cœpit habet. cœpisti, dimidium habes: at quid iuuat, habuisse dimidium, si potiore, quæ supererat, parte non adiecta, frustratis incœptis? numquid non iactura tanto grauior, quo etiam acquisita deperdis? tanto turpior, quo celsiore de gradu deturbaris? tanto probrosior, quo procliuius erat hostem iam prostratum, iam protritum debellare? Ecce, primo impetu, in arcem prouolasti, deiectis hostibus, effraçtisque repagulis, eam occupasti; annon eandem defensare, te intra munimenta continere facilius est? Constans esto, attende tibi, circumspice te ipsum: sola nocere potest securitas, teporis mater, inimica vigilantia. Sed opportuniorem locum ista postulant: nunc autem id fit satis, vt, quoniam nihil est quod tanta perfectione inchoetur, vt possit verè & ad extremum, sine perseverantia esse laudabile, cum in omnibus & maximè, vniuersum rerum decursum exoptemus suo debito fine concludi, ita perseverantiam, & quæ ad perseverantiam faciunt excolamus, vt in ea sola vitæ & salutis nostræ momentum omne reponamus.

At hoc ipsum quantum opere ab omni anxia sollicitudine segregatum esse oportet, in tempus aliud differo.

B

C A-

## CAPUT V.

*In quem sensum de Perseuerantia scribamus.*

Varium, huic Perseuerantiæ nomini, intellectum subesse capite secundo dictum est, vnde merito queri possit, quod ergo Perseuerantiæ genus tractandum susceperimus? Interrogatio sanè necessaria: cui tamen è primo capite responsio petenda est. hinc enim perseuerantiæ mixtum quoddam genus, & ex alijs omnibus constat spectro, estque ad vltimam vsque vitæ lineam, in consiliornm Euangelicorum statu constans & firma permanio. Quis enim dubitare possit, quin quicumque vitæ suæ terminum in huius Religiosi stadij de- cursionem posuisse deprehensus fuerit, is idem sanctæ perseuerantiæ numeros omnes expleuerit; vt vnum idemque cenferi possit, vltimum vitæ diem in bene morata Religione peregrisse, atque vitam totam laudabilis perseuerantiæ sancto fine clausisse?

Quidem? cum remoris & pedicis huius mundi omnibus disiectis, cum ambitionis & voluptatum fomite restincto, cum voluntatis propriæ effreni libertate sub iugum missa, id omne quod attrectas negotium, omnes illi quibuscum degis homines, infimi, æquales, præpositi, quasi conspiratione inita, in cælestia, in æterna trahunt; quis ab illis ad peritura respicere, & perire possit, nisi qui vitæ meliorisq; æternitatis osor prodigus, volens & sciens, perpetuandos dolores amet: atqui hanc amentissimam desperabundæ mentis insaniam, in quopiam, qui in proba Religione non reiectaneus vixerit, vumquam existisse quis credet? Viuunt ergo, Deoque viuunt, Deoque moriuntur, qui in sacro eiusmodi statu, Deo viuunt, Deoque moriuntur. Spes ingens, secura beartatis arrha: tene quod tenere cœpisti; & tenebis quod numquam amittes. Esto fidelis vsque ad mortem, inquit Iesus in Apocalypsi, & dabo tibi coronam vitæ. O consolationem, ô certissimam ad omnia perferenda animationem! Ecce semitam teris illam, portam ingressus es angustam, quæ certò ducit ad vitam; caue tantùm ne aberres, ne aliorsum deuius deflectas, & hac semita ad vitam peruenies.

Ac vt ne dubites, vadem præbeo testemque Gregorium. *Quid, inquit, angustius est humane menti, quàm proprias voluntates frangere? de qua fractione Veritas dicit, Intrate per angustam portam? Quid autem latius, quàm nullis proprijs voluntatibus reluctari, & quaquauersum impulsus arbitrij duxerit, se sine retractatione diffundere?* Atqui cum hoc summe & pænè propriè Religiosorum fit, suam vt abdicent voluntatem, in eoque toti habitent; quis non videt, quanto id accuratiùs effecerint, tanto rectiore & celeriore penna ad æternæ gloriæ metam eos prouolare?

laret? O vita, inquit Bernard. *secura, vbi pura conscientia! O, inquam, vita secura, vbi* *Ad milit.*  
*abque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum de-* *temp. c. 1.*  
*uotione! Felix, de illo agens qui omnia abdicasset, exclamat Hieronymus, felix, &* *Epist. 34. ad*  
*omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat seruientem, quem extrema dies* *Julian.*  
*Saluatori inuenerit militantem, qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in por-*  
*ta: cui in introitu paradisi dicitur, Recepisti mala in vita tua, nunc autem hic latare! nec* *Nahum 1.*  
*enim vlciſcetur bis Dominus in id ipsum. — Difficile, imò impossibile est, vt & presentibus*  
*quis, & futuris fruatur bonis; vt & hic ventrem, & ibi mentem impleat; vt de delicijs tranſ-*  
*eat ad delicijs; vt in vtroque ſeculo primus ſit; vt & in calo & in terra appareat glorio-*  
*ſus. Hoc vidisti, intellexisti, cauisti, ideo que ſpretis ſæculi diuitijs & delicijs,*  
*humilius vitæ genus amplexus es: hunc delectum perpetua vitæ constantia ſi*  
*confirmas, en quod loquimur, Perſeuerasti. Qui non contradicit, ſpontaneus eſt:* *Homil. 28.*  
*ait Bernard. qui retro non abiit, perſeuerat. Securus potes pugnare, vbi securus es de vi-* *in Cant.*  
*ctoria. O verè tuta pro Chriſto, & cum Chriſto pugna, in qua nec vulneratus, nec proſtra-* *Bernard.*  
*tus, nec conculcatus, nec millies ſi fieri poſſit occiſus, fraudaberis à victoria! tantum ne* *epiſt. 1.*  
*fugias. Sola cauſa qua perdere poſſis victoriam, fuga eſt. Fugiendo potes illam amittere:*  
*moriendo non potes: & beatus, ſi pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Va*  
*autem, ſi declinando pugnam, perdis & victoriam ſimul, & coronam. Religio, terra eſt*  
*ſancta, quæ putentia non poteſt ſinu ſuo retinere cadauera, viuas Deo vegetaf-*  
*que animas arcto complexu fouet: ſanctitudinem eius, malè olidi ſcarabæi non*  
*ferunt, aut ſecludantur, aut ſe ipſi ſecludant neceſſe eſt. Vitam amas? ſanctita-*  
*tem amas? hæc te Religionis paſcua delectent, hoc viuo fonte poteris. Audi* *De vita*  
*quid de cella Bernard. & quamquam id cellæ nomen minùs apud nos frequen-* *ſolus.*  
*tatur, res tamen eſt eadem, Religioſumque ſignificari crede cubiculum, ſeu*  
*thalamum: Cella, & cali habitatio cognata ſunt. — A celando enim calum, & cella no-*  
*men habere videntur, & quod celatur in calis, hoc & in cellis: quod geritur in calis, hoc &*  
*in cellis. Quidnam eſt hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum ſecundum ordinem piè &*  
*ſideliter celebratur in cellis, audeo dicere, ſancti angeli Dei cellas habent pro calis, & aquè*  
*deleſtantur in cellis, ac in calis. — A cella in calum ſepè aſcenditur, vix autem vquam à*  
*cella in infernum descenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta, Descendant in infernum viuentes,* *Pſal. 54.*  
*videlicet, ne descendant morientes. Hoc enim modo ſapè cellarum incolæ in infernum de-*  
*ſcendunt. Moriens autem, vix aut numquam aliquis à cella in infernum deſcendit, quia*  
*vix vquam aliquis, niſi calo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſiſtit. Filium*  
*enim gratia, fructum ventris ſui, cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem per-*  
*fectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit: alienum verò vel ſuppoſitum, abdicat à*  
*ſe citius & proijcit. A ſe inquam proijcit, tamquam abortiuum, euomit tamquam inuti-*  
*lem & noxium cibum, nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis, officina pietatis: venit q̄*  
*pes ſuperbia, & abſportat eum manus peccatoris, & mouet eum, & expulſus non poteſt ſtare,*  
*ſed fugit miſer, nudus & tremebundus, ſicut Cain à facie Domini, expoſitus vitijs & da-*  
*m omnibus,*

monibus, ut qui prior inuenerit eum, morte anima eum afficiat & occidat: vel si aliquamdiu durauerit in ea, non virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic ei cella est quasi carcer, aut sicut uiuenti sepultura. Quanta sunt ista Religiosae habitationis commoda, quanta securitas! sed ijs qui puro & sincero letu Christi D. N. amore semel suscepta, eodem, atque in dies inflammatioe animo persequuntur.

Quid enim? non lenta & vacillante spe, sed ipsa propè manu, ipsis oculis & auribus, futurae vitae praemia praecipunt. Quippe illis quaedam numquam obliuiscenda iucundissima Veritatis vox insonuit, quam ubi penitissimis medullis mentis hauserunt, per dura, per aspera, per quauis confragosa cuncta lacres, & laboribus vires integrant. Merces, (ita sibi quisque loquitur) merces erit operi tuo: ecce propè est, fidelis est, venit citò qui dixit; *Matth. 19.* Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, & fratres, aut domum, & agros propter me, centuplum accipiet; & vitam aeternam possidebit. *Luc. 18.* Vis etiam significantius? Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in saeculo futuro vitam aeternam. Eritne ut mendacij ipsa prima Veritas argui possit? eritne ut in promittendo iactantior, quàm in reddendo liberalior existat? sed apage blasphemiam. Verax est, liberalis est, & in promissis maximè. Tene ergo quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors, ille redimet de interitu vitam tuam, & coronabit te in miserationibus, praeniet te in benedictionibus, & desiderium cordis dabit tibi; & supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operabitur. Nihil ut Religiosis deesse videatur, nisi ut collaborantes gratia qua eos liberauit, & vocauit uocatione sancta, non secundùm opera eorum, sed secundùm propositum Dei, & gratiam qua data est illis in Christo Iesu, in qua uocatione uocati sunt, in ea perseuerent: audiantque monentem Apostolum, *2. Tim. 1.* Has ergo habentes repromissiones, carissimi, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, *1. Cor. 7.* sed mundate vos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. *2. Cor. 6. 7.*

## C A P V T VI.

*Quàm sit necessarium, ut qui semel Religionis iugum subiit,  
in eo semper perseueret.*

**H**Oc omnibus hominibus inditum est à natura iudicium, ut eo turpiorem putent ad inferiora descensum, quo gloriosior fuerat ad superiora consensus: imbellis enim, omninoque imbecillimi, nec sibi satis constantis animi est, si ab eo gradu quem semel occupasti, quemque sola potes voluntate retinere, delicti te inertis terrore patiaris. Idque locum habet maximè, in rebus cis  
qua

quæ deliberantur diu, & quæ maioris ad vitæ summam momenti sunt, semelque statuantur: quippe hæc omnis aberratio periculofior, probrofior inconstantia, effeminatior, viroque indignior ignauia. Quibus è causis alijsque quæ passim afferentur, fieri putato vt communi Christiani populi sensu, grauissima putetur ignominia nota, in Religione vixisse, nec viuere: nec vsquam credunt fore bonos, qui in tali sanctorum societate nequaquam boni esse potuere. Accedit vt rei optima sit corruptio pessima, & retrimenta puridissima: quæ ardens lucerna delectat, extincta tetrius exhalat: è lucidissimis angelis, tenebricosissimi daemones: fermeque id hominum genus est pessimum, quod in melleis sanctæ Religionis fauis, venenato defectionis felle potuit inamarefcere: quanto pere puras ambitione, libidine sæculique vitij in sæculo scatebunt; qui non tantum ea in Religione numquam deponere, sed potius ea propter Religionem ponere voluerunt?

Sed quoniam fortiter & eleganter, in aureis de Bono status Religiosi libris, hoc ipsum argumentum P. Platus edisserit; actum non agam, ad illum remittam in epilogo ad Religiosos, vt viro tanto sua laus integra maneat, & nonnemi fortassis incitamento sit ad totum illum à capite ad calcem sedulo volutandum. Id vnum ex eo obseruatum velim, firmis & varijs probationibus sic argumentum ab eo probari, vt frequenter & apertè, in eandem naufragantis propositi tabulam, compingat eum qui Religiosi instituti susceptionem vobis firmavit, & qui nondum quidem firmavit, at firmaturus accessit. Verè etenim ab eadem inconstantis animi labe, ab amore rerum vanarum, à superbie tumore, à languore nimio spiritus, à neglectu salutis æternæ, à sanctæ perfectionis contemptu, ab ingrato in Deum animo, exoritur omnis illa à suscepti status perpetuitate defectio. Indeque fit iustissimum esse, vt & iisdem pœnis vrgeantur, & eadem Dei contemtione (quo malo quid lamentabilius fingi potest?) vtrique negligentur. Sed huius rei causam ab ipsis mox fundamentis, vbi de vocationis amore agetur, arcessemus: nunc ad cætera pergendum.

## CAPVT VII.

*Qui sint perseveraturi: & quàm incerta sit Perseuerantia.*

**E**T quidem id potissimè quærendum occurrit, Qui sint perseveraturi. Excitantur hac interrogatione studia, auidæque mentes vt respondeatur vrgent: certè, affirmare nil verebor, perseveraturos eos qui suos ad huius libri præscriptum mores composuerint. Quod quia breuiter, distinctè, dilucidè (multis enim constat partibus) non nisi percurfis omnibus dici potest: dicamus magis, Quàm & cur incerta sit perseverantia.

Sic tamen ex Concilio Tridentino incertam intellige, non vt vacillantem, trepidantem, & mox imminentis casus pauore anxiam; hoc eorum sit qui de Domino in bonitate sentire nesciunt: sed incertam, hoc est eiusmodi, vt quamuis firma cum fiducia, sanctam sibi quisque de se, vel de alijs perseuerantiam, non temerarius promissor spondeat, & firmis niti videatur argumentis, falli tamen, omnisque illa quamuis probabilis spes in irritum cadere possit. Quis enim vel omnia, quæ in æuum euenire possunt tentamenta prauideat, vel prauisa, numquam laxato robore victorem se depulsurum sciat, & ad quosuis euentus, ad quascumque dubij martis pugnas, eam quæ sola victrix est, potentem Dei gratiam, secum semper permanuram, pro certo sumat? Certè cedros Libani ventorum viuellas, eosque qui iam altero pæne pede caelestem regiam intrant, ad inferna detrusos luximus, vt nemini tutum sit, triumphum canere ante victoriam: victoria verò perfecta consummataque nulla sit, nisi mortali vita exuto æterna in cælis laurea donetur. Hic demum portus, hæc benè fida statio, interea spe filiorum Dei gloriemur, lætemur quia nobis dicitur, Vos amici Dei, in domum Domini ibitis, replebimini ab yberibus consolationis eius: nondum tamen peruenistis, vt perueniatis videte.

*Ex D. Aug. de corrup. & gr. c. 13.* Interim quamdiu in hac mortalitate viuatur, in prædestinatorum numero esse nemo de se præsumat: spe ambulet, fidelem & benignum Deum credat, qui animas nostras quas illi sincerè commitemus, in beatum æternitatis diem potenter secureque seruabit. At quamdiu adhuc peregrinamur; quod nobis futurum sit æternum, occultari opus est, quando tantopere est nobis elatio cauenda, vt etiam per colaphizantem Satanæ angelum cautum fuerit, ne magnus extolleretur Apostolus. Hinc & Apostolis quasi in incertum dicebatur, Si manseritis in me: idque ab illo dicebatur, qui & mansuros sciebat, (iam enim se ipse proditor excluderat) & efficere poterat vt manerent. Nec aliter Prophetæ loquitur, Si volueritis & audieritis me: cum utique sciret ille qui per Prophetam loquebatur spiritus, quinam essent voluntatem & auditum perseuerantem præbituri. Sunt & multa in diuinis Scripturis his similia, quæ cum sæpiùs dubitanter iterentur, non obscure huius utilitatem secreti nobis commendauit Deus, ne videlicet extollatur quisquam; sed quoniam occultum semper est, qui peruenturi sint, timeant semper qui benè currunt, & eo cautiùs currant, quo iustiùs timent, sitque timor stimulus & moderatio cursui, vt neque lentescat animus, nec in præcipitià decurrat, neque confragosa & intuta sectetur.

Hinc etiam non solùm cadentibus miscentur stantes, fortes ignauis, boni improbis: sed etiam interdum ipsi quoque non in finem perseueraturi, tantos ad virtutem præferunt impetus, subitaque cælum rapturi videntur violentia, vt pudorem prædestinatis inferant, timorem omnibus cumulent: si enim cecidit qui

qui manè oriebatur Luciferi, si qui ambulabant in croceis stercora sunt ample-  
 xi; quis non expauescet, & infirmitatis humanæ conscius de sua sorte trepida-  
 bit? Trepidaret nemo, si nemo à benè cœptis resiliisset: & nemine trepidante,  
 securi deinceps omnes viuerent, & benè cœpisse contenti, parum de progres-  
 sione solliciti viuerent. *Quæ presumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi* *Aug. sup.*  
*tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas.* Tunc deimū erit illa se-  
 curitas, quando (quod nunc est in angelis) in ipsis etiam hominibus erit, vt nul-  
 la possit esse superbia: quare non immeritò credi possit, ideo futuræ salutis in-  
 certum occultari exitum, vt hinc præsentissimum sit tum lentitudini, tum verò  
 superbiæ nostræ medicamentum. Sed ipsa S. Augustini verba referamus. Is enim *Tom. 7.*  
 lib. 2. de Dono perseuerantiæ, ita loquitur: *Dilucidè ostenditur, & inchoandi, &* *cap. 13.*  
*vsque in finem perseuerandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari: sed donari se-*  
*condum secretissimam, eandemq; iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam Dei vo-*  
*luntatem: quoniam quos prædestinauit, hos & vocauit, vocatione illa, de qua dictum est:*  
*Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei. ad quam vocationem pertinere, nullus est ho-* *Rom. 11.*  
*mo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisi cum de hoc saculo exierit. In hac autem*  
*vita humana, quæ est tentatio super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo qui p-* *Iob 7.*  
*pe non perseueraturi, perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse* *1. Cor. 10.*  
*discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore, & tremore no-* *Rom. 12.*  
*strari ipsorum salutem operemur. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari* *Philip. 2.*  
*pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo opera-*  
*mur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, &*  
*credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & de-*  
*tur totum Deo.*

Deo igitur, iuxta huius sancti Patris consilium, totum demus: Deo no-  
 stro benignissimæque eius gratiæ fidamus, certius illi quàm nobis fidimus.  
 Maledictus enim quis sperat in homine, qui carnem ponit brachium suum, &  
 innixus est super virtute sua; conteretur contritione præualida, & nomen eius  
 è sancta Dei ciuitate delebitur. At sperans in Domino etiam si collabascet,  
 non collidetur, supponet Dominus manum suam, & eriget eum, & supra pe-  
 tram eum statuet, & firmabit gressus eius ne moueatur in æternum. Sed quo-  
 niam qui perseueraturi, qui non perseueraturi sint, definire non possum: vr-  
 gebis, credo, quod proximum est,



## CAPVT VIII.

*Cur perseverent qui perseverant, cur etiam alij non perseverent.*

**C**um enim causa vel perseverantiæ vel retrocessionis animaduersa fuerit, illam tenere, hanc cauere promptum fuerit. Quid ergo? veriùsne, & apertius dici potest, quàm si dixerò,

Omnes qui perseverant, ad vltimum vsque perseverare velle, & quia ad vltimum vsque voluere, perseverauerunt? At verò qui retrorsum abierunt, ideo non perseverarunt, quia aliò conuersa voluntate, in eodem vero bono permanere noluerunt. Velis ergo, & fac vt semper inflexa voluntate velis, (quis te volentem, vt nolis, coget?) faciendoque vt semper velis, perseverabis. Numquid, inquis, sine Deo? ablit, imò maximè cum Deo, ideoque oprabilius, quia cum Deo: qui si optionem dederit, vel non nisi cum eo, & per eum bonum posse, vel etiam sine illo posse; certè longè potius est, sine illo nihil posse, & cum illo posse, quàm sine illo aliquid posse: nimis enim periculose stat, quicumque creaturæ cuiusuis auxilio solo stat. Sine illo igitur non poteris, cum illo poteris: dedit velle, dedit incipere, dedit in hanc diem posse; idque dando, quod difficilius erat dedit: quippe facilius est inceptum bonum persequi, quàm nondum cœptum, multisque in aditu difficultatibus obseptum, aggressum esse, cœpisse, promouisse. hæc non cogitanti qui dedit; cætera, volenti, petenti, instanti non negabit: nec vquam ille te deseret, illum nisi prior deseras.

Attamen vt prior illum non deseras, gratia, & magna eius gratia opus est; non negabit, si benè petieris, si semper gratus & humilis fueris; vt autem benè petas, vt semper gratus & humilis degas, & hoc ipsum gratia Dei nostri est: vt omnino nihil sit quod nos à nostris malis liberet, nisi gratia Domini nostri Iesu Christi Saluatoris optimi. Cum autè in eius liberalissima potestate hoc esse positum sciamus, ò quantum hinc nobis firmissimæ spei accrescit! qui enim semetipsum pro nobis donauit, quid nobis denegare de suis donis posset? negat nolentibus, volentibus donat, sed & volentes facit. quid enim? Conuertimini, inquit, ad me, & conuertar ad vos: planè fideliter, liberaliter, benignè: sed & Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, respondet animus verax, humilis & gratus. Conuertitur, si conuertimur; conuertimur, si conuertit; adhærescimus si adhærescit, adhærescit si adhærescimus. ò profundum! ò mysterium & abyssus! ò iustissimam à diuina semper misericordia pendendi, ad eam in omnibus confugiendi occasionem!

Sed

Sed ita se rem habere, idq; quo fructu vt sciamus; occurrat nobis innumerabilia propè esse, quæ hominû alijs dantur, alijs non dantur à Deo, apud quem nō est acceptio personarum, neq; tamen aut tribuuntur aut negantur voluntatum merentium, aut non merentium respectu pensatō. eiusmodi sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capax natura: item quæ quæ accedunt extrinsecus, vt opulentia, nobilitas, honores, & cætera huiusmodi, quæ quisque vt habeat, non nisi in Dei est potestate: minimè verò vel in electione, vel in hominum meritis. Iam si in tam multis hæret ratio humana, si cur vnū alicui detur quod alij negetur, ignorat, nec huius ignorationis dolore tangitur: quid mirum si in excellentiorum gratiæ donorum distributione cæcutiat, causamque cur id ira fiat, reperire nō possit? sed ea, vt benè quidam dixit, cur non satis rationem videamus, est optima ratio, nostræ rationis infirmitas. Hoc benè obseruauerat ille idem August. cū scriberet: *Hic si à me quaratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, quibus eā qua Christianè viuerent, dilectionē dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnosces modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantum verò abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Et quibusdam interiectis: Mirandum est quidem, multumq; mirandum, quòd filius suis Deus quibusdam quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam, cū filiis alienis sceleratāta dimittat, atque impartita gratia sua, faciat filios suos. Quis hoc non miretur? quis hoc non vehementissimè stupeat?*

Ita quidem sanctus ille Pater, nihil de bonitate, liberalitate, misericordia & gratia Dei detractum putans, si merè gratis, pro diuinæ voluntatis beneplacito, efficacem perseuerantiæ gratiam illis dari assereret quibus vniquam datur. Neque verò hinc animi contrahuntur, attolluntur potius: numquam enim virtuti repugnare, quin potius non nisi suffragari solet veritas. Quid enim? *an timendum est ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in seipso, superbissimus & infelicissimus poneret: absit hoc à Christianis, absit à Religiosis: quos verius & sanctius est eiusdem Sancti verbis excitatos monere; Vos, inquit, etiam ipsam obediendi perseuerantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo, considerare non vos esse à predestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine. Et, Bonum est considerare in Domino quam considerare in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniam de vita æterna quam*

C

filij

filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora aeterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, qua tentatio est super terram: sed faciet nos perseverare in se, usque in eius vitae finem, cui quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem.

Quod igitur, vel timemus vel diffidimus, non de illo timeamus, non diffidamus, sed de nobis tantum: nemo alia quam sua culpa, nequaquam autem Dei, à perseverantia excidit, nemo alium quam se ipsum iure causari potest. Qui suam in bono voluntatem obfirmaverit, quamdiu obfirmaverit, à bono non recedet, perdurabit, perseverabit: te ergo obfirma; obfirmatum non reuellet Deus; firmabit magis.

Sed cadunt multi, homo sum, humani à me nihil alienum duco; scio, si cecideris alienum ab homine non fuerit; sed numquid alienum fuerit si steteris? numquid non perstant etiam multi? fortes quam ignavos æmulari præstat: nec est capitalior victoriæ hostis, quam torpens desperatio. Panicum hunc & verè faruum pavore refellit aliquando, Græciæ os aureum Chrysostomus, docuitque; si de perseverantia timendum foret, iustiores multò causas esse de secularibus quam de Religiosis timendi, optimæque spei hos esse longè pleniore. Primò itaque referens quid alij objiciant, ita loquitur: Vnde nobis constabit, inquit, quòd stabit ille, perseverabit, neque proposito decidet omnino: multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo: Vnde verò tibi constat, quòd non persistet, neque perseverabit? Multi enim sunt qui perseveraverunt, & quidem longè plures, quam qui exciderunt. Itaque istorum gratia magis considerandum est, quam illorum metuendum. Docet deinceps, difficilius esse (quod in confesso relinquimus) perseverare in sæculo, multis in negotijs ac implicamentis, quam in Religiosa quiete; & addit, Quam igitur iniquum simul & indignum est, ubi quidem sunt spei optimæ plerumque indicia manifesta, & viciniora, ibi desperare & tremere: ubi verò spes ipsa & longinquior est, & tantis impedimentis intercipitur, illic non desperare; imò verò rei difficillimæ spes sibi maximas proponere? & mox, An verò si cum vrbe, & vxore, & familia & domo, servuari quis potest; non longè id faciùs, aptius, melius poterit, si fuerit is liber? Quid est ergo quòd salutem ibi desperes, ubi minimè debueras: ibique non metuas, ubi maximè pavere debuisti? Et sanè hoc ipsum non falsè minùs quam lepidè à B. illo Egidio (qui in primis Franciscanæ familiæ enituit) viris ditissimis, & honore florentibus responsum esse Religiosis annalibus scribitur: cum enim Egidij preces apud Deum, pro se viri illi petissent: Quin potius, inquit, meum est, vestras enixius implorare. Mirantur illi; suaque, hominum omni commodorum copia fruentium, orationes, Religiosi, & sibi præseueri hominis precibus non conferendas contendunt. at ille; Quid enim? pannosus, pauper, ieiunus, aliena lege, alieno nutu vivens, æternitatem gloriæ vix trepidus expecto: vobis verò fiduciæ tantum superest, vt per honores, diuitias, & omnia secundissima, ad æternitatis palmam manus interritas potrigatis. nonne

igi-

Lib. 3. cõtra  
viciu. vita  
monast.

igitur æquum est, vt mericuloso præfidentiores, auxilio sint & præsidio?

Cerrè si seposita prauæ consuetudinis corruptela, & deceptore affectu se quisque consulat, non erit qui neget, cum bonis bonum esse; sepositis ad vitia inuitamentis vitiosos mores effugere; vnà cum currentibus, rapi & currere, longè facilius esse, quàm inter malos esse bonum, inter omnis generis illecebras continentem, inter cessantes, vel etiam in contraria currentes à recto cursu non desistere, non cessare. Ex his autem quod consequens est, confectum volo, vt, si quibus perseverantia est facilis, illa sit Religiosis; si quibus est illa speranda, expectanda, sit sanè Religiosis, quorum vita, vt ne in prauum corrum- pi, vtque in recto semper vigere possit, omni præsidiorum genere videtur ob- uallata. Diuina sunt, à uocatione, à prouidentia Dei, à Beatissima Virginis, Angelorum & Sanctorum patrocinio auxilia; diuina, an humana dicam, vel si autem *ἡδυοποινα*, aut *ἡερὸν ἡγῶν*, quæ à regulis diuinitus inspiratis, quæ à statu,

*Id est, ex hu- mano & di- uino mixta.*

*Vide hæc in Plato l. i. de Bono status Relig.*

quæ à præpositorum vices Dei gerentium gubernatione permanant, & verò hu- mana, quæ confirmant, non desunt plurima, Religiosus ipse conuictus, sacrum domicilium, exempla domestica, occupationes piæ, fermeque præscriptæ: vt lædi nequaquam posse videatur, qui vel vnicum id diligenter cauerit, vt intra sua se munimenta clausum teneat, foras non euagetur incautus. Magnæ sunt, fateor, & expauescendæ, huius vitæ quasi procellosi maris tem- pestates, sed maeste animo sis, nauem conscendisti, vel veriùs, diuina largitate in eam nauem allectus es, quæ firma compage solui nequit, armamentis & omni commearuum genere instructa est, ductoreq; sancto Spiritu, seu lene spiran- tibus, seu furentibus in aduersa ventis, cursum tenet, portum denique subit. Insanientis igitur mundi procellas, in tua Religionis naui quierè residens, non despectabis tantum, sed & ridens respectabis: ingentes, montium instar, minabuntur vndarum moles, at illisæ dissilient, & in gracilem spumam dissi- patæ vaneſcent: tu verò sicus, integer, intactus nauigatione peracta secu- ro gaudio triumphabis. Sed verbo concludamus, perseverabunt, qui in sua probata & verò proba Religione permanebunt. Vt autem permaneant, facient imprimis quæ sequuntur.

## CAPVT IX.

*Quæ ad Perseuerantiam faciant.*

Sed iam ad enumerationem quorundam, quæ ad perseuerantiam maxi- mè conducunt, veniendum nobis est. Erit quidem, quòd vel alium re- tum ordinem, vel alia plura & diuersa nonnemo desideret: sunt enim plu- rima quæ perseuerantiam muniunt, quippe illi virtus omnis, prudentia om- nis

nis ancillatur: ideo etiam plurima sunt quæ in illam insurgunt, quidquid parum, nimium, vitiosè appetitur, omnis perturbationum caterua, vis omnis & fraus omnis dæmonum, solam præ cæteris perseverantiam vel aperta vi demoliri, vel occulta fraude subtrudere nituntur: quiddam quoque in singulis fermè hominum reperitur, quod vel nodosius & prædurius est quàm ut mollem virtutis inferendæ surculum complectatur & foueat; vel ita molle est & tenerum, ut aut primâ tentationis pruinâ emarcescat, aut vndecumque inspiratum venenum ita penitus in vitalia recondat, ut illi idem sit emori, quod eiusmodi telo impeti. Iam, id genus hominibus, vel nulla perseverantia est speranda, vel curandum ut prædurum illud molliatur, molle istud & effeminatum duretur. quod hac scriptione nostra si non facimus, annon operam ludimus?

Sanè, si certo numero, certaque ratione, hæc morborum llias comprehendere posset, utiliter in eis persecutandis labor noster desudaret: at quomodo de animi morbis id sperare possumus, quod in ipso, licet sensu & manibus atretetur, corpore nondum perfici potuisse perspicimus? Satis ergo sit nobis, si potissima quædam perseverantiæ firmamenta persequamur, ea videlicet quæ maximè faciunt ad vitam suo in arrepto vitæ instituto securè pacatèque peragendam: quibus animum nostrum si probè instruxerimus, erit vnde quibusvis vndecumque incurstantibus obistere, eodemque in gradu perstare valeamus.